Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1847

Quelle:
Copyright:

colletur et omnino occidatur. Epiſtola e Capitulo Ordinis *Brunnae* celebrato a. 1536. data ad Noſtrum a Miniſtris Provincialibus *Bohemiae F. Gilberto a Lubano* et *F. Antonio a Sprottba*, qua rogatur, ut dimiſſo ad Infideles abeundi propoſito in laboribus apoſtolicis *Cadani* perſiſtat. Praeit Epigramma *Conſtantini Selendberi* Baccal. in laudem *Felicis*, adjunctis aliis in modum Verſuum ſcriptis quidem, nihil tamen minus quam Verſibus, quibus viſis non poſſit non venire in mentem *Dictaminum rigmicorum* inter *Obſcurorum Virorum Epiſtolas* obviorum, atque his gemina per totum *Codicem* ſparſa ſunt. Sequuntur: *Sacrarium Scripturarum* ſive *Epiſtola ad Martinum Lutherum cum ſua Luthera* conſtans Parte *Tragedica*, *Comedica* et *Argumentica. Scrutatorium quaternium*, cujus Partes *Theoſebica*, *Evangelica*, *Theologica* et *Chriſtianica. Antidotum pro cupientibus ſeruare mandata dei. Liber Birgitanus* ſeu Excerpta ex *Birgittae* Operibus. *Defenſorium Magiſtri Petri Lombardi* contra *Lutherum. Duellum johannis foelicis cum Martino luthero alias libellus argumentatorius de quatuor ſcilicet de Arbitrij libertate Pape autoritate Eccleſie vnitate Sacramentorum veritate*, non ſine praeviis Pugilum figuris linearibus horridis. Praemittitur inſuper *Epiſtola Imperatoris moderni Caroli Incliti Germani Regis foerdinandi*, quae nihil eſt aliud, quam Scriptum *Caroli* in Conventu *Wormatienſi* die 19. *Apr.* 1521. lingua *Burgundica* in Senatum Imperii miſſum, cujus in latinam traductio praeſenti concinnior habetur apud *Cochlaeum* in *Comment. de Act. et Script. Mart. Lutheri* edit. *Mogunt.* 1549. p. 34. f. Gemina item *Franciſcani* Noſtri ad *Collegium Lipſienſe* increpatoria, quod *Lutherum* ejusque doctrinam foveat, in quarum poſteriore, qua ſe ad certamen cum *Luthero* offert, haec legas: *Remittetis mihi litteras vocatorias ad vniuerſitatem veſtram per talem nuncium, qui nulli alteri: ſed in manus meas repreſentet eas. Extra Civitatem Cadanam in Clauſtro fratrum minorum ſancti bernardini inueniet me.* Item: *a quinquaginta annis (vt ſum in religione) potius occupaui me in orationibus quam in aliquibus ſtudijs* &c. quod utique liquet. *Duello* ſubjicitur Reſponſum breve *Lutheri*, quod, cum inſcribatur: *Martinus Lutherus Eccleſie lumen* &c. non ab ipſomet profectum putem. Datum dicitur: *ipſa die Simonis et iude. Ex edibus D. martini lutheri Anno 1545.* habetque adnexum Reſponſum Noſtri non tamen ad *Lutherum* ipſum, ſed ad Collegium rurſus *Lipſienſe* directum. Hanc deinceps velitationem excipit: *Martinus lutherus contra conformitatum librum fratrum minorum*, id eſt, hujus Praefatio *Alcorano Franciſcanorum Eraſmi Alberi* germ. et lat. adcommodata, cum Noſtri Reſponſo. Succedanea ſunt: *Ammonicio vniuerſalis*